



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Praxis Et Brevis Declaratio Viæ Spiritvalis**

**Palma, Luis de la**

**Antverpiae, 1634**

Principium & Fundamentum Exercitioru[m].

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60472](#)

MEDITATIO  
DE FUNDAMENTO.

Textus Exercitiorum S. Patris nostri  
sic habet:

**C**reatus est homo ad hunc finem,  
ut Dominum Deum suum lau-  
det ac reuereatur, eiq; seruiens tandem  
saluus fiat. Reliqua verò supra terram  
sita, creata sunt hominis ipsius causâ,  
ut eum ad finem creationis suæ prose-  
quendum iuuent; vnde sequitur, vt en-  
dum illis, vel abstinentiam eatenus esse,  
quatenus ad prosecutionem finis vel  
conferunt, vel obsunt. Quapropter de-  
bemus absque differentiâ nos habere  
circa res creatas omnes (prout libertati  
arbitrij nostri subiectæ sunt, et) non  
prohibitæ, ita vt, quod in nobis est, non  
quæramus sanitatem magis quam ægri-  
tudinem; neque diuitias paupertati, ho-

D 5 norem

58 PRAXIS ET DECLARATIO

*norem contemptui , vitam longam  
breui præferamus : sed consentaneum  
est, ex omnibus ea demum, quæ ad fi-  
nem ducunt, eligere, ac desiderare.*

MEDITATIO

CIRCA FUNDAMENTVM.

**H**ÆC Meditatio diuidi potest in  
quatuor puncta ; vnde tres fru-  
ctus colligi possunt, in quos oculos con-  
jicere , & ad quos obtainendos exerci-  
tium hoc huius diei dirigere debemus.  
Vocatur *principium* : quia in eo , quæ  
tale est, includuntur resolutiones, quæ  
post fusiū declarabuntur . Vocatur  
*fundamentum* : quia super eo assurgit  
totum vitæ spiritualis ædificium.

PRIMVM PUNCTVM . Prima quæ  
hominem tenere debet cura est , scire  
in quem finem creatus sit, & sollicitum  
esse ut illum acquirat . Finis, propter  
quem Deus hominem creauit, est

Primò , Ut eum laudet & glorificet  
corde, ore, & opere, omnia ad maiorem  
Dei